bunt. Quomodo ergo infantes præfati poſſent eſſe hujus terræ habitatores, niſi diceremus, eos inſtar piſcium in aquis nataturos?

LXXIV. Accedit, quod ſi poſt univerſale Judicium dicti infantes beatitudine naturali donarentur, & in hoc Mundo velut in terreſtri Paradiſo collocarentur; tranſirent de non beatis in beatos beatitudine naturali, de captivis in liberos, & forent melioris conditionis, quia peccaverunt in Adamo, quam ſi eſſent in puris naturalibus conditi: unde commodum ex peccato reportarent.

LXXV. Manebunt ergo poſt univerſale Judicium infantes prænominati reſumptis corporibus in eodem loco, ad quem antea miſſi fuerunt. Nec inde tamen, ſicut nec ante, triſtitiam, aut mœrorem concipient; quia ibi non erunt tamquam alligati, & detenti ab igne, vel aliquo contrario impediente, ne Deum videant, ſicut detinentur Dæmones, & alii Damnati; ſed unice a Deo denegante ipſis concurſum ad exeundum ob defectum gratiæ, ſine qua incapaces ſunt divinæ viſionis; Quæ eſt Doctrina S. Thomæ *q. 26. de Verit. art. 1. ad 11.* dicentis: *In pueris propter defectum gratiæ eſt ſola carentia divinæ viſionis ſine aliquo contrario impediente active: ſed damnati in Inferno non ſolum privantur divina viſione propter defectum gratiæ, ſed etiam impediuntur quaſi per contrarium, ex hoc, quod circa pœnas corporales occupantur.*

LXXVI. Ex quo fit, quod ex tali detentione nullam patiantur pœnam ſenſus, quia illam non apprehendunt, ut ſibi diſconvenientem, & nocivam; ac ſubinde nec ex illa triſtantur, aut ei reluctant. Unde D. Thom. quæſt. 26. de Verit. art. 1. mox citato ad 5. *Affligens primum* (inquit) *eſt ipſe ignis corporalis detinens animam per modum prædictum; ſed hoc triſtitiam animæ non ingereret, niſi hoc eſſet ab anima apprehenſum. Unde proximum affligens eſt ignis ipſe detinens apprehenſus.* Cum igitur locus ille, vel ignis, ut ſibi contrarius, & diſconveniens a pueris illis non apprehendatur, deeſt illis proxima cauſa triſtitiæ.

LXXVII. Hæc probabiliter locuti ſumus. Cum enim Scriptura nihil de ſtatu puerorum poſt extremam diem nobis revelaverit, divinari quidem poſſumus, ſed nihil certi definire. Quare æquum eſt, ut de hoc, & de toto tractatu de peccato originali, in quo abunde immorati ſumus, ſilentium imponamus.

QUÆSTIO XI.

De Statu Naturæ Puræ.

HActenus egimus de ſtatibus, in quibus homo de facto fuit; nimirum ſtatu innocentiæ, in quo Adam conditus a Deo fuit, & ſtatu lapſus, in quem decidit per peccatum, & in quem omnes Poſteros ſecum traxit. Nunc de alio ſtatu, in quo homo revera non fuit, imaginamur tamen, potuiſſe a Deo condi, quem vocamus ſtatum naturæ puræ, ſermonem inſtituemus. Primo quærentes: an iſte ſtatus poſſibilis ſit? Secundo: quænam homini in iſto ſtatu convenirent?

DUBIUM I.

An Status Naturæ Puræ ſit poſſibilis?

§. I.

Quædam ſcitu neceſſaria exponuntur.

I. STatus naturæ puræ, prout hic accipitur, duo dicit, unum poſitivum, alterum negativum. Poſitivum eſt, quod in eo ſtatu humana natura habeat quidquid eſt ei connaturale, ſeu debitum ex eſſentiæ ſuæ principiis, puta omnes proprietates, habilitates, & facultates naturales expeditas, & paratam Providentiam in omnibus præfatis ei auxiliantem. Negativum vero eſt, quod in eo ſtatu natura nihil habeat indebitum: ſive quod ei non ſit aptum ineſſe intra ipſum naturæ ordinem, ſive bonum ſit, ſive malum; hoc eſt, ut neque gratiæ donis, vel aliis beneficiis ad finem ſupernaturalem conducentibus illuſtretur; neque ullo peccato maxime originali ſit infecta, nec pœnis, ut propter ipſum inflictis, ſubjiciatur. *Dixi ut propter peccatum originale inflictis;* quia eſto, ut dicemus, in eo ſtatu ſubjiceretur infirmitatibus, tum corporis, tum animi; hoc ideo eſſet, non in pœnam, ſed ex conditione naturæ naturaliter fluens. Unico verbo. Statum naturæ puræ dicimus medium inter ſtatum originalis juſtitiæ, in quo homo primus conditus fuit, & ſtatum peccati, in quem lapſus eſt. Medium dixi per negationem extremorum, quod nec ſanctitatem includat, quæ dat habenti jus ad vitam æternam, nec peccatum, quo ab ea excludatur ob reatum damnationis.

II. Porro quia dona gratuita, ſeu indebita, ſunt duplicis generis: quædam enim perficiunt hominem in ordinem ad finem ordinis naturalis, & operationes naturales, ut eſſent donum integritatis, conſiſtens præcipue in perfecta ſubjectione appetitus rationi, & perfecta interioris hominis concordia, ſine qua homo eſt quaſi regnum in ſeipſo diviſum: quædam vero dantur homini ad eum perficiendum in ordine ad finem ſupernaturalem, & operationes ipſi proportionatas, ut dona gratiæ ſtricte ſumpta: propterea nomine ſtatus naturæ puræ intelligimus hic ſtatum excludentem omnia gratuita ſive in ordine ſupernaturali, ſive etiam in ordine naturali; & ſumimus naturam præciſe ſecundum ea, quæ ex principiis ſuis ſibi debentur; hic enim eſt ſtatus naturæ puræ ſtricte ſumptæ, cum alius ſit potius ſtatus naturæ integræ.

III. In hoc ſtatu hominem, immo nec Angelum, unquam fuiſſe, exploratum eſt; Deus enim creaturas rationales, quas hactenus condidit, ad finem, & ordinem ſupernaturalem elevavit: Angelis cum natura gratiam ſanctificantem largitus fuit: *ſimul eis & condens naturam, & largiens gratiam*, ut ait S. Auguſt. *lib. 12. de Civit. Dei c. 9.* primis quoque Parentibus ſimul cum natura gratiam adoptionis conceſſit, ut ſuperius oſtendimus, & indicavit Tridentinum *Seſſ. 5. Can. 1.* dicens: Adam *Sanctitatem, & juſtitiam, in qua conſtitutus fuerat, amiſiſſe.* Solum ergo difficultas, & controverſia eſt: an ſtatus puræ naturæ poſſibilis ſit, non ſolum attenta Dei abſoluta potentia (hoc enim nullus negat, cum potuerit abſolute Deus creare hominem omni gratia, & ordine ad ſupernaturalia deſtitutum) ſed de potentia ordinaria, & operante juxta naturalem rerum creatarum inclinationem.

IV. Lutherus *in cap. 3. Geneſis*, negativam partem tuetur, dum ait, quod natura Adæ ita erit, *diligere Deum, credere Deo, agnoſcere Deum. Hæc tam naturalia fuere in Adamo, quam naturale eſt, quod oculi lumen recipiant.* Et infra: *Porro* (inquit) *hæc probant, originalem juſtitiam fuiſſe de natura hominis: ea tamen per peccatum amiſſa, manifeſtum eſt, naturalia non manſiſſe integra, ut Scolaſtici delirant.* Verius dixiſſe, *ut Lutherus delirat.*

V. Sententiam negativam in aperto poſuit Janſenius tribus libris integris, quos *de ſtatu naturæ puræ* inſcripſit. Contendit ergo primo, non potuiſſe homines peccati originalis expertes creari a Deo ſine gratia ſanctificante, quæ eſt (inquit) ipſa charitas Dei ſuper omnia; alioquin natura rationalis mala, ſtulta, diſtorta, & perverſa crearetur a Deo, quod ſapit errorem Manichæorum aſſerentium, Deum eſſe auctorem alicujus naturæ malæ. In hoc tamquam uno ex doctrinæ ſuæ capitibus adeo immobiliter ſiſtit Janſenius; ut contrarium dicat fuiſſe unum ex præcipuis erroribus Pelagii ab Auguſtino profligatum; ac plerosque Scholaſticæ defenſores in hoc, ſicut in aliis, ab Auguſtino receſſiſſe, & filium humanæ rationis potius, quam Eccleſiaſticæ traditionis tenere. Contendit ſecundo, felicem illum ſtatum, in quo Adam creatus fuit, connaturalem illi fuiſſe; ut aliter creari nequiverit, nec ſubjici morti, aut aliis miſeriis, ſive corporis, ſive animi.

VI. Eamdem ſequuntur Gandavenſis *Quolib. 6. q. 11.* Et Eſtius *in 2. diſt. 26.* qui tamen diſſentiunt; quod primus aſſerit, non ſolum integritatis donum, nempe ſubjectionem vitium inferiorum rationi, & membrorum corporis animæ, ſed etiam immortalitatem pertinere ad naturam hominis in ſua puritate: ita ut ſine illis homo peccati originalis expers creari a Deo non potuerit. Alter vero docet quidem, donum integritatis eſſe donum naturale, & homini competens in puris naturalibus; ſed fatetur, immortalitatem primo homini conceſſam, ei fuiſſe indebitam; & potuiſſe a Deo creari hominem purum a peccato, obnoxium tamen morti, ac morbis, & doloribus corporalibus.

VII. Sententia tamen affirmativa communis eſt in Scholis Catholicis, adeo ut oppoſita evaſerit ſuſpecta, Bancel noſter media via incedit, & diſtinguit inter impoſſibilitatem abſolutam, ſeu phyſicam, ſeu ſervato naturæ ordine, & exigentia; & impoſſibilitatem ex ſuppoſitione, moralem, & attento ordine divinæ ſapientiæ, & providentiæ: & dicit, phyſice, & abſolute loquendo, poſſibile quidem fuiſſe, hominem ſine dono integritatis, tam in animo, quam in corpore a Deo creari, ſicut fuit poſſibile creari ſine manibus, & pedibus: moraliter tamen, & attento ordine divinæ providentiæ, quæ omnia in ſua natura perfecta, & integra, & cum perfectionibus ſibi debitis creare voluit, multo magis id voluiſſe homini, ut cum omni integritate ſuæ naturæ convenienti crearetur, credendus eſt: ideoque ſtatum puræ naturæ eſſe (ait) abſolute poſſibilem, ex ſuppoſitione tamen, & moraliter impoſſibilem.

§. II.

Communis Sententia præfertur.

VIII. DIco primo. Potuit Deus primum hominem, & totum genus humanum creare in ſtatu naturæ puræ, hoc eſt abſque omni ordine ad gratiam, ad gloriam, & beatitudinem ſupernaturalem, & quodcumque auxilium illius ordinis. Hanc veritatem agnovit D. Thom. *q. 4. de Malo a. 1. ad 14.* ubi ait: *Carentia divinæ viſionis dupliciter competit alicui. Uno modo ſic, quod non habeat in ſe, unde poſſit ad divinam viſionem pervenire. Et ſic carentia divinæ viſionis competeret ei, qui in ſolis naturalibus eſſet etiam abſque peccato. Sic enim carentia divinæ viſionis non eſt pœna, ſed defectus conſequens omnem naturam creatam; quia nulla creatura ex ſuis naturalibus poteſt pervenire ad viſionem divinam. Alio modo poteſt alicui competere carentia divinæ viſionis hoc modo, ut habeat in ſe aliquid, ex quo debeatur ei, quod careat viſione divina. Et ſic carentia divinæ viſionis eſt pœna & originalis, & actualis peccati.* Ex quibus ſic diſcurro: potuit Deus, etiam nullo præcedente peccato, condere naturam hominis cum carentia illius perfectionis, quæ naturæ non eſt debita, ſeu ad quam natura ex ſuis principiis nullum dicit ordinem, ſeu exigentiam: ſed ad viſionem Dei natura hominis nullam dicit exigentiam, ſeu ordinem, immo carentia talis viſionis eſt *defectus conſequens omnem naturam creatam*; ergo ſicut condidit hominem cum ordine ad illam, ita potuiſſet illum condere cum carentia talis ordinis.

IX. Hinc merito S. Pius V. anno 1567. in Bulla data Romæ (quam poſtea Gregorius XIII. & Urbanus VIII. confirmarunt) Kalendis Octobris damnavit propoſitiones ſeptuaginta ſex Michaelis Baji Decani Lovanienſis, inter quas ſequentes, videlicet: *Humanæ naturæ ſublimatio, & exaltatio in conſortium divinæ debita fuit integritati primæ conditionis; & proinde naturalis dicenda eſt, non ſupernaturalis* Quæ erat vigeſima prima. Per conſortium autem divinæ naturæ non aliud intelligebat Bajus, quam quod habetur per gratiam ſanctificantem, ut colligitur ex propoſitione 42. Idem continent propoſitiones 24. & 27. & clarius propoſitio 76. qua dicit: *Falſa eſt Doctorum ſententia, primum hominem potuiſſe a Deo creari, & inſtitui ſine juſtitia originali*, nomine juſtitiæ naturalis intelligens eam, in qua conditus eſt primus homo, nempe peccati expers, & gratia ſanctificante exornatus. Quod expreſſit hac alia propoſitione pariter damnata, quæ eſt 53. *Deus non potuiſſet ab initio talem creare hominem, qualis nunc naſcitur.* Cum ergo propoſitiones damnatæ ſint falſæ, & contradictoriæ ſint veræ, ſequitur, verum eſſe, quod ſublimatio ad conſortium divinæ naturæ per gratiam non ſit naturalis, ſed ſupernaturalis; & quod potuerit a Deo creari homo ſine juſtitia, & qualis nunc naſcitur, omnibus ſcilicet donis ſupernaturalibus, & gratuitis ſpoliatus.

X. Premitur his Janſenius, hæret, ac velut anguis torquetur *lib. 3. de Statu naturæ puræ cap. 22.* Dicit ergo, cenſuram hanc, ſi in rigore ſumatur, contrariam eſſe novem illis partim doctiſſimis, partim Sanctiſſimis Pontificibus Innocentio, Zozymo, Bonifacio, Sixto, Cæleſtino, Leoni, Gelaſio, Hormiſdæ, Joanni II. a quibus D. Auguſtini doctrina laudata, & ut doctrina Eccleſiæ Catholicæ contra hæreſim Pelagianam propoſita fuit. Quid autem in doctrina Auguſtini frequentius, quam totam miſeriarum, & privationum ſeriem, quibus nunc ſcatet homo, in peccatum refundere, ac hæc omnia homini etiam non peccanti tribuere; nil aliud eſſe, quam Deum facere, vel injuſtum, & mali auctorem, vel impotentem? Quare concludit; Ne Pontificia Sedes contra ſeipſam pugnet, & ne dicatur, Eccleſiam variaſſe fidem, convenienter dicendum quod cum propoſitiones Baji non eadem omnes, ſed diverſis cenſuris proſcriptæ ſint; præcitatæ damnatæ non fuerint, tamquam falſæ, ſed ſolum ut pacis inimicæ, quia contrariæ doctrinæ, quæ in Recentiorum Scholis verſabatur; nihil tamen contra earum veritatem determinando. Ita citato loco obloquitur Janſenius.

XI. Sed contra Primo. Unde probat Janſenius, doctrinam de impoſſibilitate ſtatus naturæ puræ, & de juſtitia connaturali naturæ humanæ, quæ condemnatur in Bajo, approbatam fuiſſe ab antiquis novem Pontificibus doctrinæ S. Auguſtini laudatoribus? Certe hoc nec in Codice Canonum Eccleſiæ Africanæ, nec in Conciliis Milevitano, & Arauſicano II. nec in Epiſtola Cæleſtini ad Epiſcopos Galliæ invenitur. Damnatur quidem Pelagius aſſerens hominem mortalem factum, itaut ſive peccaret, ſive non peccaret, moreretur in corpore, non peccati merito, ſed neceſſitate naturæ; ſed hoc damnatur etiam ab Eccleſia in præſens, quia de facto ita fuit. At quod Deus in alia Providentia potuiſſet hominem ita condere, ut non peccati merito, ſed naturæ neceſſitate moreretur, quod negat Bajus, & Pontifex S. Pius V. damnavit, nec veteres Pontifices, nec Concilia damnarunt; de hoc enim controverſia non erat.

XII. Secundo. Qua fronte Janſenius ſic committit inter ſe veterum Pontificum ſententias cum Recentioribus; ut dicat, ſic tenendam eſſe auctoritatem Recentiorum, ut non lædatur auctoritas Veterum, quaſi non ſit æqualis in utriſque, & invariabilis doctrina?

XIII. Tertio. Plane indignum, ac temerarium eſt, quod vir privatus ſuo ſenſu, & arbitrio applicet partem leniorem cenſuræ huic, vel illi propoſitioni: ſic enim aperitur via ſatis ampla ad eludendas cenſuras cujuſcumque propoſitionis. Eo vel maxime, quod cum Pontifices unice pacis ſtudio, & non decernendo procedunt; ſic de una propoſitione, vel ſententia diſputare vetant, ut oppoſitam ſe proinde non damnare declarent; quod multis exemplis oſtendere facile eſt. Cum ergo præfati Pontifices prænominatas Baji propoſitiones ita damnent, ut abſolute eas defendere omnibus, & ſingulis interdicant, ſignum eſt, eas tamquam falſas, & erroneas proſcribi.

XIV. Quarto. Ut admittit Janſenius, aliquæ ex Bajanis propoſitionibus in præfata Bulla damnantur ut erroneæ, & hæreticæ; ergo multo magis tali cenſura notantur præfatæ ſupra relatæ, quæ ſunt aliarum ibi damnatarum velut fundamentum.

XV. Melius ergo, & tutius fuiſſet, ſi Janſenius, qui ſe Auguſtini diſcipulum eſſe adeo gloriatur, potius quam hærere inter definitionem Summorum Pontificum, & auctoritatem unius particularis Doctoris, Auguſtinum ipſum imitatus fuiſſet. Si enim Sanctus Doctor *lib. contra Epiſt. fundamenti cap. 5.* non eſt veritus dicere: *Ego vero Evangelio non crederem, niſi me Catholicæ Eccleſiæ commoveret auctoritas.* Et *Serm. 2. de Verb. Apoſtoli* modo *Serm.* 131. auditis Romani Pontificis in cauſa Pelagianorum reſcriptis; dixit: *Cauſa finita eſt.* Potiori jure dicere debuiſſet Janſenius: *Auguſtino non crederem, niſi me Eccleſiæ Catholicæ, & Supremi illius Rectoris commoveret auctoritas:* & audito ejuſdem reſcripto contra Bajum, repetere: *Inde* (Roma) *reſcripta venerunt. Cauſa finita eſt*, Alioquin ſi liceat Auguſtino, aut etiam Sacræ Scripturæ, Eccleſiæ, & Pontificum Definitiones poſthabere, vel ſaltem poſt iſtas adhuc dubitare, nulla cauſa, nullus error finietur. Cuicumque hæretico licebit de Eccleſiæ doctrina cenſuram ferre, & ſe excuſare ab ea ſuſcipienda, quod Auguſtino, Patribus, & Sacræ Scripturæ contraria ſibi videatur.

XVI. Verum ut appareat, quam inaniter de Auguſtino glorietur Janſenius, oſtendam, S. Pii definitionem Auguſtini doctrinæ eſſe conformem. Primo. Quia Sanctus Doctor *lib. 2. alias 3. contra Maximin. cap. 15.* probans, Filium Dei, ſi non eſt ejuſdem ſubſtantiæ cum Patre, non eſſe Filium natura, ſed gratia, ponit exemplum in homine, dicens: *Homo nempe ad Dei ſimilitudinem factus eſt; tamen quia non eſt unius, ejuſdemque ſubſtantiæ, non eſt verus filius; & ideo fit gratia filius, quia non eſt natura.* Si ergo filiatio adoptiva Dei, quæ eſt per gratiam ſanctificantem, convenit homini *non natura*, ſed gratia; ergo non eſt illi connaturalis, ſed indebita, & gratioſe conceſſa; ergo ſine illa potuit homo creari.

XVII. Secundo. Angeli nunquam peccato originali fuerunt infecti: & tamen juxta doctrinam Auguſtini potuerunt creari ſine gratia; ergo multo magis homo, etiam præciſo peccato. Min. prob. tum ex *Lib. 12. de Civit. Dei cap. 9.* ubi quamvis dicat, Angelos ſimul cum natura accepiſſe gratiam, naturam tamen dicit fuiſſe a Deo conditam, gratiam vero donum naturæ ex largitate datum: *Creavit* (inquit) *ſimul ei & condens naturam, & largiens gratiam.* Eo autem, quod donum ex largitate eſt, non ex natura, vel naturæ debitum eſt, poterat Angelus abſolute carere. Deinde dicit, quod qui ceciderunt, minorem acceperunt divini amoris gratiam; ergo amor Dei in Angelis donum fuit, quod ex Largitoris voluntate magis, vel minus collatum fuit; igitur non connaturalis, aut naturæ debitus. Præterea ibidem dicit: Ad Angelos tunc pertinuiſſe, quod jam de hominibus dicitur, quod *Charitas Dei diffuſa ſit in eis per Spiritum Sanctum, qui datus eſt eis.* Sentit ergo charitatem, tam Angelis, quam hominibus dono Spiritus Sancti, non debito naturæ conferri.

Rurſus, *lib. 13. Confeſſ. c. 2. 3. & 4.* in Angelorum creatione duplicem Dei actionem diſtinguit: unam quam vocat *inchoationem rei ſpiritualis*, qua naturam quidem accepit, ſed quæ ſaltem tenebroſa fluitaret ſimilis abyſſo. Alteram, *qua ab eo illuminata lux fieret*, nempe per gratiam, ſubjungens: *Sed ſicut non te promeruerat, ut eſſet talis vita, quæ illuminari poſſet; ita nec cum jam eſſet, promeruit te, ut illuminaretur . . . ut & quodcumque vivit, & quod beate vivit, non deberet niſi gratiæ tuæ &c.* Sicut ergo in Dei arbitrio fuit, Angelos in nihilo relinquere improductos; ita & productos, denegato lumine gratiæ, in naturalibus tenebris informes finere; quia nec promeruerunt, ut eſſent, nec cum jam eſſent, promeruerunt, ut gratiæ lumine perfunderentur.

XVIII. Probatur ratione Theologica. Id eſt homini ex ſua natura, ſeu connaturaliter debitum, quod vel ex naturæ principiis oritur, vel ad illud habendum natura ordinatur: ſed gratia ex natura hominis, ejuſque principiis non oritur, ut ſuppono apud omnes certum, nec ex ſe ad gratiam connaturaliter ordinatur, cum gratiam reſpiciat, ut quid totum naturæ ordinem excedens, nec ad eam comparetur ſecundum potentiam naturalem, ſed ſolum ſecundum potentiam obedientialem; ergo &c. Alias homini ex ſua natura deberetur & filiatio Dei, & hæreditas gloriæ.

XIX. Confirmatur. Si gratia, & charitas eſſent connaturaliter debitæ homini innocenti, ſeu nullo peccato infecto, ita ut non poſſet a Deo creari ſine illis, potentia ſaltem ſervante naturæ debitum, ſequeretur, gratiam, & charitatem primis Parentibus in creatione infuſam, eſſe gratiam, & non eſſe gratiam: eſſe gratiam, ut ſupponitur: non eſſe autem; quia repugnat eſſe gratiam, & eſſe debitam, ut ipſum gratiæ nomen, & notio ſignificat.

XX. Reſpondet Janſenius, gratiæ repugnare quidem debitum ortum ex jure, ſeu opere creaturæ, non tamen debitum, ſeu connaturalitatem decentiæ, congruentiæ, & æquitatis. Nihili enim connaturalius, & æquitatem decentius innocenti imagini cum capacitate Dei naturaliter conditæ, quam gratia. Unde quamvis Deus eam ipſi negans non faceret contra jus juſtitiæ, quod ſit in creatura; faceret tamen contra ſapientiam ſuam, quam non ſecus ac juſtitiam præterire non poteſt. Additque, quod ſicut Scholaſtici dicunt, gratiam ſufficientem eſſe gratiam abſolute, & nihilominus debitam eſſe creaturæ rationali, etiam in hoc ſtatu lapſo, nec poſſe ei denegari a Deo, alioquin impoſſibilia juberet Deus: ita dici poteſt, gratiam habitualem fuiſſe debitam homini innocenti, & tamen gratiam vere fuiſſe.

XXI. Sed contra. Nam primo Janſenius ſupponit, naturam humanam ex ſe ordinari ad Dei viſionem, ut ad finem ſibi connaturalem; immo nihil eſſe ei connaturalius: quod licet ipſe doceat, tum *l. 1. de Statu puræ naturæ c. 15.* tum *lib. 2. & 3.* tamen falſum eſt. Secundo. Quia ſibi contradicit, dum ait, viſionem Dei eſſe finem naturalem hominis, & adhuc non eſſe niſi viribus ſupernaturalibus ab eo acquiſibilem. Si enim finis naturalis eſt, ad quem ex ſua natura homo ordinatur; connaturales ei ſaltem innocenti, atque omnis peccati experti erunt vires, quibus eam poſſit adipiſci; eritque debita non ſolum debito orto ex congruitate, & ſapientiæ Dei,

ſed

ſed ipſo jure fundato in natura ab intrinſeco exigente perduci ad ſuum finem, & requirente media ad illius aſſecutionem neceſſaria. Hoc autem tamquam Pelagianum errorem rejecerunt Concilia, & Patres volentes, gratiam, aliaque dona ſupernaturalia, non ſolum excedere opera creaturæ rationalis, quia ſcilicet illius opere acquiri non poteſt (alioquin etiam liberum arbitrium, & facultates naturales, quas non facimus, ſed cum natura accipimus, eſſent gratia propriiſſime dicta; quod tamen contra Pelagium negabant) ſed quia eſt donum naturæ ſuperadditum ſuperans omne illius debitum, & exigentiam.

XXII. Exemplum autem, quod affert de gratia ſufficiente non eſt ad rem. Non enim ideo dicimus, gratiam ſufficientem eſſe aliquando naturæ etiam lapſæ debitam, quia eam abſolute exigat, & ad eam ex ſe ordinetur; ſed dicimus, eſſe debitam ſolum ex gratuita ſuppoſitione, quod Deus naturam ad ordinem ſupernaturalem creaverit, & ad finem ſupernaturalem ordinaverit, ei præcipiendo, ut ad illum tendat; hac enim ſuppoſitione facta: quæ omnino gratuita, & libera Deo eſt, quis non videt, fieri debita creaturæ auxilia, & media, quibus ad illum finem poſſit tendere; ne dicatur, Deum velle impoſſibilia? At in Adverſariorum ſententia; gratia ponitur debita naturæ innocenti abſolute, & ipſa elevatio ad finem ſupernaturalem ita ſtatuitur ei conveniens, ut ab eo Deus abſtinere non poſſit, niſi in pœnam peccati; & conſequenter nec illam creare ſine gratia; aliiſque auxiliis ad ejus aſſecutionem neceſſariis.

§. III.

Aſſertio ſecunda de Dono Integritatis.

XXIII. Dico ſecundo. Potuit Deus etiam ut providens ſingulis ſecundum ſuam naturam, & præciſa quacumque culpa, condere hominem in ſtatu naturæ puræ, ideſt abſque dono integritatis, & immortalitatis, ſive cum inclinatione rebelli partis ſenſitivæ adverſus rationem, & cum neceſſitate moriendi. Hæc eſt mens Sancti Thomæ, quam expreſſit in 2. *diſt.* 31. *quæſt.* 1. *art.* 2. *ad* 3. his verbis; *Poterat Deus a principio, quando hominem condidit, etiam alium hominem ex limo terræ formare, quem in conditione naturæ ſuæ relinqueret; ut ſcilicet mortalis, & paſſibilis eſſet, & pugnam concupiſcentiæ ad rationem ſentiens: in quo nihil humanæ naturæ derogaretur, quia hoc ex principiis naturæ conſequitur: non tamen iſte defectus in eo rationem culpæ, & pœnæ habuiſſet, quia per voluntatem iſte defectus cauſatus eſſet. Similiter dico, quod in illo, qui ex digito generaretur, tales defectus eſſent, ſi principiis ſuæ naturæ relinqueretur, niſi Dominus gratis hoc ſibi vellet conferre, quod primo homini contulit.*

XXIV. Nec obſtat, quod 4. *Contra Gent. cap.* 52. dicat, quod hujuſmodi defectus *quamvis naturales homini videantur, abſolute conſiderando naturam humanam ex parte ejus, quod eſt in ea inferius; tamen conſiderando divinam providentiam . . . ſatis probabiliter probari poteſt, hujuſmodi defectus eſſe pœnales* —— Non obſtat, inquam. Nam ibi Sanctus Doctor loquitur de eo, quod de facto contigit, ac de præſenti Providentia, qua Deus hominem cum juſtitia originali etiam integritate naturali voluit exornare; unde infert, quod defectus, qui nunc ſunt pœnales ſint, & ex eis argui poteſt peccati originalis exiſtentia. Non vero loquitur in alia Providentia, & alio rerum ordine, quo naturam humanam cum ſuis præciſe intrinſecis abſque ullo dono condidiſſet, ut loquitur in loco ex 2. *ſent.* allato.

XXV. Noſtram ſententiam probavit S. Pius V. dum in prælaudata Conſtitutione ſequentes Baij propoſitiones damnavit, nempe 27. *Integritas primi hominis non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio, ſed naturalis ejus conditio.* 55. *Deus non potuiſſet ab initio talem creare hominem, qualis nunc naſcitur.* 75. *immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, ſed naturalis conditio.* Et 76. *Falſa eſt Doctorum ſententia, primum hominem potuiſſe a Deo creari, & inſtitui ſine juſtitia naturali.*

XXVI. Accedat auctoritas S. Auguſtini, cui adeo fidit Janſenius. Primo enim gratiam magnam vocat, quod Adam innocens non ſentiret motus & pudorem libidinis lib. 3. contra Julian. cap. 16. *Gratia quippe* (inquit) *Dei magna ibi erat, ubi terrenum, & animale corpus beſtialem libidinem non habebat. Qui ergo veſtitus gratia non habet in nudo corpore, quod puderet, ſpoliatus gratia ſenſit, quod operire deberet.* Si magna gratia fuit, quod Adam ante peccatum beſtialem libidinem non haberet; ergo talis defectus carentia naturæ ejus erat indebita; ergo cum tali vitio creari potuit etiam ante peccatum. Gratiam quoque fuiſſe in Adamo, non naturam, corporis immortalitatem fatetur *l. 6. de Geneſ. ad litt. cap.* 26. dicens, poſſe non mori, in quo immortalitas primi hominis ſita erat, *ei præſtabatur de ligno vitæ, non de conſtitutione naturæ . . . Mortalis ergo erat conditione corporis animalis, immortalis autem beneficio Creatoris.* —— Ne autem dicat Janſenius, Adamum dici immortalem beneficio Creatoris eo modo, quo Angeli immortales gratia Conditoris dicuntur in Concilio Conſtantin. VI. *Act.* 11. qui tamen natura immortales ſunt —— Adverti debet. S. Auguſtinum ibi diſtinguere inter *non poſſe mori*, & *poſſe non mori*. Primo autem modo immortales dicit eſſe Angelos, ideſt natura, *ſicut quaſdam naturas immortales creavit Deus*: ſecundo autem modo homo, quia ex conſtitutione naturæ poterat mori, beneficio Creatoris poterat non mori ſumendo de ligno vitæ.

XXVII. Ignorantiam quoque, & difficultatem poſſe eſſe homini naturales, ſupponit *lib. 3. de lib. arbit. cap.* 20. ubi contra Manichæos poſtquam oſtendit, ignorantiam, & difficultatem, quas habet anima, contrahi ex peccato originis, addit, quod etiamſi Deus animas cum tali ignorantia, & difficultate in corpus miſiſſet; non ideo culpandus eſſet, quia dediſſet ei liberam voluntatem petendi, & conandi, ac petenti, & conanti ignorantiam, & difficultatem ablaturus fuiſſet. Quibus totum evertit Janſenii fundamentum, quo nititur oſtendere, culpandum fore Deum, ſi puram naturam cum talibus defectibus nullo prævio peccato condidiſſet —— Ne autem dicat Janſenius, hæc Auguſtinum ſcripſiſſe, dum ageret contra Manichæos nondum exorta hæreſi Pelagiana; adeat libros Retractationum, ibique *lib.* 1. *cap.* 9. inveniet a S. Doctore confirmatam præfatam Doctrinam his verbis: *Quamvis ignorantia, & difficultas etiamſi eſſent hominis primordia naturalia, nec ſic culpandus, ſed laudandus eſſet Deus, ſicut in eodem tertio libro* (de lib. arbitr.) *diſputavimus. Et lib. de Dono perſeverantiæ cap.* 11. repetens, quæ *in lib. 3. de liber. arbitr.* & *lib.* 1. *Retract.* dixerat, ait: *Etiamſi verum eſſet, quod dicunt Pelagiani, ignorantiam, & difficultatem, ſine quibus nullus hominum naſcitur, primordia, non ſupplicia eſſe naturæ; vincerentur tamen Manichæi, qui volunt duas, boni ſcilicet, & mali, coæternas eſſe naturas.*

XXVIII. Ex his omnibus conficitur ratio. Integritas naturæ, & immortalitas; ſeu exemptio a rebellione appetitus, a morbis corporis, & a morte non eſt homini naturaliter debita; ergo potuit ſine illa creari, non ſolum de potentia abſoluta, ſed etiam de potentia per ſapientiam ordinata: nam ſapiens Providentia Dei ſolum tenetur rebus providere de iis, quæ naturaliter ſunt debita, non de iis, quæ naturaliter ſunt indebita. Antecedens ſic oſtenditur. Nulli naturæ connaturaliter debetur remedium, ſeu exemptio, a defectu, qui eſt ipſi connaturalis, ſicut naturæ corruptibili non debetur naturaliter exemptio a corruptibilitate: ſed integritatis donum, nempe perfecta ſubjectio appetitus ad rationem, & immortalitatis, ſunt remedium, ſeu exemptio a defectibus, qui homini ſunt naturales; ergo &c.

XXIX. Min. pro prima parte probatur. Quod naturaliter componitur ex partibus contrariis, pugnam habet in ſe connaturalem: ſed homo naturaliter componitur ex partibus contrariis, rationali ſcilicet, & ſenſitiva, & conſequenter duplici inclinatione, una ad bonum honeſtum, & rationi conſonum, altera ad bonum ſenſibile, & delectabile, quod interdum bono rationis contrarium eſt, & rationis legibus prohibetur, unde febricitans appetit, & ſitit frigidum, non obſtante, quod ratio ſæpe contrarium ſuadeat; ex quo oritur interior conflictus, & pugna inter duas inclinationes; ergo exemptio a tali pugna eſt exemptio a defectu, qui eſt homini connaturalis.

XXX. Pro ſecunda etiam parte eodem diſcurſu probatur. Homo enim naturaliter componitur in corpore ex contrariis qualitatibus, & affectionibus continuam in eo alterationem, & pugnam cauſantibus, qua tandem ad interitum, & mortem tendit; ergo exemptio a morte eſt exemptio a defectu connaturaliter debito. Antecedens probatur tum ex Div. Auguſtino *lib. 9. de Civit. Dei cap.* 13. dicente: *Homo medium quiddam eſt, ſed inter pecora, & Angelos; ut quia pecus eſt animal irrationale, atque mortale, Angelus autem rationale, & immortale, medius homo eſſet inferior Angelis, ſuperior pecoribus, habens cum pecoribus mortalitatem, rationem cum Angelis, animal rationale mortale.* Cum ergo mortalitas ſit connaturalis pecoribus, & Immortalitas Angelis, homini mortalitas connaturalis erit.

Tum ex D. Thom. in 2. diſt. 19. quæſt. 1. art. 4. *Immortalitas illa, & impaſſibilitas, quam homo habuit in primo ſtatu, non inerat ſibi ex ſuis principiis naturæ . . . ſed ex beneficio Conditoris. Unde naturalis proprie dici non poteſt, niſi forte naturale dicatur omne illud, quod natura incipiens accepit.* Et 1. part. quæſt. 97. art. 1. *Non enim* (inquit) *corpus ejus* (Adæ) *erat indiſſolubile per aliquem immortalitatis vigorem in eo exiſtentem, ſed inerat animæ vis quædam ſupernaturaliter divinitus data, per quam poterat corpus ab omni corruptione præſervare, quamdiu ipſa Deo ſubjecta manſiſſet.* Quod repetit ibi *ad* 3.

Accedit, quod ſi immortalitas homini connaturalis eſſet, ſicut & integritas, in eo manſiſſent etiam poſt peccatum; ſicut omnia ad naturam, ſive ex principiis naturæ fluentia in eo manſerunt. Hac ratione utitur D. Thomas 1. *part. quæſt.* 95. *art.* 1. dicens: *Manifeſtum eſt autem, quod illa ſubjectio corporis ad animam, & inferiorum virium ad rationem non erat naturalis, alioquin poſt peccatum manſiſſet; cum etiam in Dæmonibus data naturalia poſt peccatum permanſerint.* Quod repetit *in 2. diſt. 19. quæſt. 1. art. 4. in Arg. ſed contra.*

D U B I U M II.

Examinantur Fundamenta Janſenii.

§. I.

Quoad Dona Gratiæ, & Gloriæ.

I. Ut occurratur variis SS. PP. dictis, qui aſſeruiſſe viſi ſunt, dona integritatis, & gratiæ ſanctificantis fuiſſe naturalia primis Parentibus; ut Cæleſtini *Epiſt. ad Epiſcopos Galliæ cap. 1. alias 4.* dicentis: *In prævaricatione Adæ omnes homines naturalem poſſibilitatem, & innocentiam perdidiſſe*; & aliorum, maxime Auguſtini, dicentium, Adam amiſiſſe poſſe naturæ, & poſſibilitatem naturalem; obſervandum eſt, naturale dici non ſolum id, quod homo naturaliter exigit, ſed id etiam, quod cum naturæ conditione accepit, ſive debitum, ſive ex dono Conditoris, ſive ex alia cauſa proveniens, etſi indebitum, & præter naturam ſit. In hoc ſenſu dicit Paulus Epheſ. 2. verſ. 3. *Eramus natura filii iræ.* Non quia hoc a natura, vel naturæ debitum ſit; ſed quia cum natura iræ filiationem contrahimus. Unde D. Auguſt. Serm. 14. de Verb. Apoſt. nunc Serm. 294. cap. 14. *Non accuſamus* (inquit) *naturam; naturæ Auctor Deus eſt. A Deo bona eſt inſtituta natura; ſed per malam voluntatem a ſerpente vitiata eſt. Ideo quod fuit in Adam culpa, nobis propagatis factum eſt jam natura.* Et hoc etiam Janſenius ipſe confitetur, dum *lib. de Gratia primi hominis* ait: *Peculiaris eſt Auguſtini, ac Diſcipulorum ejus phraſis, adeoque Concilii Arauſicani, quod pene totum ex verbis ejus, totum vero omnino ex ejus doctrina contextum eſt; ut ſub libertate naturali, & poſſibilitate naturali, ipſaque natura totum iſtud comprehendatur, quod naturæ in ipſa prima conditione collatum eſt, etiam ipſa rectitudo voluntatis, quæ ſine vitio, & culpa adhærebat Deo.* His igitur obſervatis.

II. Primum fundamentum petit Janſenius *l. 1. de Statu naturæ puræ c.* 3. ex ordine creaturæ rationalis ad Deum, ut ultimum finem ſic. Non poteſt natura rationalis innocens, & nullius peccati rea a Deo creari incapax aſſequendæ veræ beatitudinis; ſed homo creatus in natura pura, & donis ſupernaturalibus gratiæ, & charitatis deſtitutus, eſſet incapax veræ beatitudinis; ergo in eo ſtatu creari non poſſet. Major eſt certa apud S. Auguſt. qui *lib. 13. de Trinit. cap.* 8. Omnes beati eſſe *volunt* (inquit) *ut veritas clamat, ut naturam compellit, cui ſumme bonus, & immutabiliter beatus Creator indidit hoc*; & in Enchir. cap. 103. *Beati eſſe ſi volumus, ut eſſe miſeri non ſolum nolimus, ſed nequaquam prorſus velle poſſimus.*

III. Minorem vero probat primo. Nullus homo poteſt eſſe vere beatus, niſi ſincero amore Deo ultimo ſuo fini, & ſummo bono adhæreat, ut ſæpe docet Auguſtinus, & præcipue *lib. 12. de Civit. Dei c.* 1. & *lib. 14. de Trinit. cap.* 8. cum enim anima rationalis ſit imago Dei, nonniſi in Dei poſſeſſione quieſcere poteſt; ergo homo creatus in pura natura eſſet incapax veræ beatitudinis —— Neque ſalvat diſtinguere duplicem Dei amorem, naturalem, & ſupernaturalem. Talis diſtinctio, inquit Janſenius, eſt humana pronunciatio a Philoſophis adinventa, cujus nec in Sacris Litteris, nec Conciliis, nec PP. eſt invenire veſtigium.

Secundo, probat min. Quia, inquit, non poteſt homo eſſe vere beatus, niſi fruatur clara viſione Dei: ſed hac careret homo in ſtatu naturæ puræ; ergo &c.

IV. Reſpondeo, diſt. maj. Incapax aſſequendæ veræ beatitudinis ſibi debitæ ex principiis ſuæ naturæ, conc. maj. ſibi indebitæ, & ad quam ex gratuita Dei bonitate aſſumitur, nego maj. & ſimiliter, diſtincta min. nego conſeq. Fateor, hominem nullius peccati reum non poſſe a Deo creari abſque ordine ad beatitudinem aliquam vel finem ultimum. Sed illa beatitudo, ille finis duplex eſſe poteſt: nimirum naturalis, conſiſtens præcipue in adhæſione Deo per cognitionem, & amorem viribus naturæ poſſibilem, ſeu in ſuavi contemplatione Dei, ut auctoris naturæ, abſtractiva quidem, ſed hauſta ex creaturis eum maxime repræſentantibus, quales ſunt creaturæ ſpirituales: quæ contemplatio pareret amorem naturalem Dei, & virtutum moralium deſiderium, quarum naturaliter homo capax eſt, & quibus ea bona poſſet aſſequi, quæ naturale animæ, & corporis deſiderium explerent. Altera eſt beatitudo ſupernaturalis conſiſtens in clara Dei viſione, & gaudio, ſeu amore beatifico. In hypotheſi autem, quod homo in puris naturalibus conditus eſſet, ad priorem quidem, finem, & beatitudinem fuiſſet ordinatus, quia connaturalis eſt, & debita; non tamen ad ſecundam homini ex ſuis principiis prorſus indebitam. Quod enim ad iſtam quoque fuerit ordinatus, ſeu verius elevatus, eximiæ fuit gratiæ, & liberalitatis divinæ agentis ſupra totam naturæ exigentiam. Ideo Regius Vates *Pſal.* 82. *v.* 12. eam non naturæ, ſed gratiæ tribuit: *Gratiam* (inquit) *& gloriam dabit Dominus*, & Paulus *Rom. 6. v.* 23. ait: *Gratia autem Dei, vita æterna.*

V. Quod vero hanc diſtinctionem amoris, ſeu dilectionis Dei naturalem, & ſupernaturalem Janſenius rejiciat ceu Philoſophorum inventum, parum me movet. Cum enim duplex ſit Dei cognitio, una naturalis hauſta per diſcurſum ex creaturis, altera ſupernaturalis habita per fidem: cur ſicut iſta parit amorem ſupernaturalem Dei, illa amorem naturalem non excitabit, cum amor ſequatur cognitionem boni? Scriptura quoque id docet. *Rom. 1. v.* 2. dicit, quod Gentes, quia cum ex creaturis cognoviſſent Deum, non ſicut Deum coluerunt, ſunt inexcuſabiles; ergo datur Religio, & cultus naturalis Dei; ergo & naturalis ejuſdem amor: non enim colitur ille, niſi amando, inquit Auguſt. *Epiſt.* 120. modo 140. *ad Honoratum c.* 18. Rurſus *Rom. 2. v.* 14. dicit Paulus, quod, *Cum gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt . . . ipſi ſibi ſunt lex, qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis.* Sed ſummum opus legis eſt, Deum eſſe diligendum; ergo dilectio Dei ſcripta eſt in cordibus hominum; ergo eſt dilectio Dei naturalis. Deinde Concilium Arauſicanum II. *Can.* 25. & Tridentinum *Seſſ. 6. Can.* 3. ſtatuunt neminem diligere poſſe Deum, ſicut oportet ad ſalutem, ſine prævenienti Spiritus Sancti gratia. Cur autem hæc limitatio poneretur, ſi nullus alius poſſibilis amor, niſi ſupernaturalis, & ad ſalutem conducens?

VI. Merito igitur confixæ fuerunt a S. Pio V. in ſæpe laudata Conſtitutione ſequentes Baji propoſitiones, nimirum: *Diſtinctio illa duplicis amoris naturalis videlicet, quo Deus amatur, ut auctor naturæ: & gratuiti, quo Deus amatur, ut glorificator, vana eſt, & commentitia, & ad illudendum Sacris litteris, & plurimis Veterum teſtimoniis excogitata.* Quæ eſt n. 34. Et iſta, quæ eſt n. 36. *Amor naturalis, qui ex viribus naturæ exoritur, ex ſola Philoſophia, per elationem præſumptionis humanæ cum injuria Crucis Chriſti, defenditur a nonnullis Doctoribus.* Ne autem dicatur, eas prohiberi, non quia falſas, ſed quia cenſura notat oppoſitas propoſitiones; advertatur iſta pariter damnata, quæ nullam continet cenſuram, & eſt 38. *Omnis amor creaturæ rationalis, aut vitioſa eſt cupiditas, qua Mundus diligitur quæ a Joanne prohibetur; aut laudabilis illa charitas, qua per Spiritum Sanctum in corde diffuſa Deus amatur.* Igitur præter amorem Dei ſupernaturalem, qui in cordibus noſtris diffunditur per Spiritum Sanctum, datur alius amor, qui non eſt vitioſa cupiditas, ſed amor naturalis Dei.

VII. Hujus autem duplicis amoris rationem docet D. Th. *in cap. 13. 1. ad Cor. Lect.* 4. dicens: *Amor eſt quædam vis unitiva, & omnis amor in unione quadam conſiſtit. Unde & ſecundum diverſas uniones diverſæ ſpecies amicitiæ a Philoſopho diſtinguuntur. Nos autem habemus duplicem conjunctionem cum Deo. Una eſt quantum ad bona naturæ, quæ hic participamus ab ipſo. Alia quantum ad beatitudinem, in quantum nos hic ſumus participes per gratiam ſupernæ felicitatis, ſecundum quod hic eſt poſſibile: ſperamus enim, ad conſecutionem illius æternæ beatitudinis pervenire, & fieri cives Cæleſtis Jeruſalem. Et ſecundum primam communicationem ad Deum eſt amicitia naturalis, ſecundum quam unumquodque ſecundum quod eſt, Deum ut cauſam primam, & ſummum bonum appetit, & deſiderat, & finem ſuum. Secundum vero communicationem ſecundam, eſt amor charitatis, qua ſolum creatura intellectualis Deum diligit.*

VIII. Inſtat tamen. Nulla poteſt eſſe vera beatitudo extra viſionem claram Dei; ergo vel non datur beatitudo naturalis, vel iſta in viſione clara Dei conſiſtit. Antecedens probatur primo. Nulla datur vera beatitudo, niſi quæ ſatiat omne deſiderium hominis, ſed hoc in ſola Dei viſione ſatiatur; ergo &c. Min. probatur. Qui videt effectum, non ſatiatur, niſi videat cauſam. Probatur ſecundo. Omnis vera beatitudo hæc requirit, nempe, quod beatus non poſſit offendi, nec falli, nec mori, & ſecurus ſit de perſeverantia ſui ſtatus beatifici; unde S. Aug. lib. 14. de Civit. Dei cap. 25. *Ipſe* inquit) *juſtus non vivit, ut vult, niſi eo pervenerit, ubi mori, falli, offendi omnino non poſſit, eique ſit certum, ita ſemper futurum. Hoc enim natura expetit, nec plene, atque perfecte beata erit, niſi adepta quod expetit.* Nullam autem ex his conditionibus haberet beatitudo poſita in homine, qui eſſet in ſtatu puræ naturæ.

IX. Inſtat ſecundo. Viſio beatifica eſt naturaliter debita creaturæ rationali, utpote finis ejus ultimus; ergo naturaliter eam homo appetit, nec eam illi denegare poteſt Deus abſque ejus prævia culpa. Quare D. Aug. *l. 1. contra duas Epiſt. Pelagian. c.* 22. & *l. 1. contra Julian. c.* 3. reprehendit Pelagianos, quod dicerent, infantes naſci ſine peccato originali, & adhuc morientes ſine Baptiſmo excluderent a Regno Cælorum. Et *Serm. 14. de Verb. Apoſt.* nunc *Serm. 294. c.* 6. ſic Pelagium increpat: *Quare patrimonium Regni Cælorum abripis innocenti? . . . Quæ eſt iſta juſtitia? Dic quare? Quid offendit parvulus non baptizatus, nullam habens culpam, nec ſuam, nec de parente tractam?* Qui diſcurſus non valeret, niſi Regnum Cælorum eſſet naturaliter debitum homini nulla maculato culpa.

X. Reſpondeo, negando abſolute ant. applicatum homini in ſtatu puræ naturæ, & ad claram Dei viſionem non ordinato. Ad primam autem prob. dico, quod beatitudo illa ſupernaturalis ſatiaret omne deſiderium rationabile conveniens homini in illo ſtatu. Dato autem, quod viſis Dei effectibus naſceretur in eo aliquod deſiderium videndi Deum, hoc eſſet ad ſummum conditionatum, nempe ſi ei apparet poſſibile, quod animi quietem non interturbat; eo modo, quo in ruſtico naſci poteſt deſiderium evadendi Imperatorem, quod animi tranquillitati non obeſt, cum ei non appareat poſſibile: non tamen abſolutum, & efficax, cum ei non appareret poſſibilis finis, nec media, quibus ad eum poſſet pervenire. Solum autem deſiderium abſolutum, & efficax, ſi non impleatur, parit anxietatem.

Ad ſecundam ant. prob. dico, illas conditiones ſpectare beatitudinem non temporalem, hujus vitæ, & naturalem tantum, ſed æternam, alterius vitæ, & ſupernaturalem, a qua omnes exulant anxietates. Fatentur enim ipſimet Adverſarii, duplicem diſtingui poſſe beatitudinem, unam imperfectam, in qua fuiſſe, dicunt cum Auguſtino *lib. 14. de Civit. Dei cap.* 26. Adamum, antequam peccaret. Et l. 11. cap. 12. *Quis* (inquit) *primos illos homines in Paradiſo negare audeat beatos fuiſſe ante peccatum, quamvis de ſua beatitudine, quam diuturna, vel utrum æterna eſſet, incertos?* Alteram perfectam, inamiſſibilem, & æternam, de qua ſecurus fuiſſet, ſi non peccaſſet. Cur ergo ſimiliter nobis in caſu noſtro non licebit aſſerere, hominem in ſtatu puræ naturæ conditum habiturum beatitudinem in ordine naturali inchoatam, & imperfectam in præſenti vita; alteram in eodem ordine perfectam, & æternam in altera vita, ſi legem naturalem, auxiliis illius ordinis adjutus, ſervaſſet?

XI. Quæ-

XI. Qualis autem futura eſſet homini in ſtatu puræ naturæ beatitudo poſt hanc vitam, incertum omnino eſt. In primis inveriſimile non judico, hominem in ſtatu puræ naturæ conditum potuiſſe proceſſu temporis abſque ullo ſuo merito, ex mera liberalitate, & gratia ad ordinem ſupernaturalem elevari, & transferri; ut mediis ſupernaturalibus inſtructus poſſet beatitudinem ſupernaturalem ſibi procurare. In hoc enim nullam video repugnantiam. Dato autem, quod Deus hominem in ſtatu puræ naturæ conditum, in eo ſtatu uſque ad mortem relinquere vellet; nihil certi definire poſſumus de circumſtantiis, quæ comitarentur beatitudinem ejus poſt hanc vitam. Eſto enim certum ſit, eam non fore locandam in clara, ſed ſolum abſtractiva Dei notitia: de modo tamen, quo id contingeret, ambigitur. Quidam enim putant, quod in eo ſtatu non eſſet futura corporum reſurrectio; ſed homines, qui bene operati eſſent in via, futuri eſſent beati ſolum in anima. Alii futuram reſurrectionem corporum exiſtimant, & homines beatos futuros, non ſolum quoad animam, ſed & quoad corpus. Alii dicunt, quod quando juſtus ad debitum ſtatum virtutis perveniſſet, Deus ipſum in corpore, & anima rapuiſſet, ſicut de Henoch, & Elia legitur, & vivum tranſtuliſſet in locum a ſe determinatum; ubi eum conſervaſſet in æternum, ut nunquam guſtaret mortem. Sed hæc, & alia divinando potius dicuntur. Quid enim futurum eſſet in eo ſtatu, Deus novit.

XII. Ad ſecundam inſtantiam, nego ant. Neque Auguſtinus contrarium ſentit; loquitur enim, non de homine in ſtatu puræ naturæ relicto, ſed de eo in præſenti ſtatu; in quo ſupponitur jam elevatus, & ordinatus ad finem ſupernaturalem, qui eſt poſſeſſio Dei clare viſi in Regno Cælorum. Suppoſita autem tali ordinatione non poteſt Deus juſte in executione hominem ab ea rejicere, niſi in pœnam alicujus culpæ. Et propterea bene reprehendens Pelagianos, qui ex una parte infantes ſine culpa originali, & ſua aſſerebant; & ex alia ab ingreſſu in Regnum Cælorum arcebant, dicit: *Quæ eſt iſta juſtitia? Quid offendit parvulus non baptizatus nullam habens culpam &c.* Non autem loquitur in hypotheſi, de qua agimus, in qua ſupponimus, nullum hominum ad beatitudinem ſupernaturalem fuiſſe ordinatum; tunc enim homini fuiſſet prorſus indebita.

XIII. Secundum Janſenii fundamentum eſt. Creatura rationalis inſtitui a Deo non poteſt, niſi cum voluntate ordinata ad Creatorem amandum amore caſto, & propter ſeipſum: ſed amor iſte abſque beneficio gratiæ haberi non poteſt: ut paſſim docet S. Auguſt. ergo &c.

Si reſpondeatur, diſt. maj. quin ordinetur ad Creatorem amandum amore, vel naturali, vel ſupernaturali, conc. maj. amore tantum ſupernaturali, qui ſit perfecta charitas, nego maj. Quæ diſtinctio patet ex dictis.

XIV. Contra urget. Amor, ut ſit caſtus, debet amare Deum propter Deum, & non propter aliud, quo ſcilicet unice Deum quærit: *Nam* (inquit de Iſraelitis Auguſt. in Pſalm. 77. n. 20.) *qui propter beneficia terrena Deum quærebant, non utique Deum, ſed illa quærebant*: ſed talis amor caſtus, qui ſit propter Deum, non poteſt haberi ſine vera, & proprie dicta gratia Dei, & quin ſit ſupernaturalis, ut idem Auguſtinus paſſim docet; ergo &c.

XV. Quod confirmat. Nam præcipuus Pelagii error fuit, quod aſſereret, aliquem purum, & caſtum Dei amorem haberi poſſe naturæ viribus. Quare inter ipſum, & Catholicos gravis fuit concertatio, de qua ait D. Auguſt. l. de Gratia, & lib. arb. cap. 18. *Unde eſt in hominibus charitas Dei, & proximi, niſi ex ipſo? Nam ſi non ex Deo, ſed ex hominibus, vicerunt Pelagiani: ſi autem ex Deo, vicimus Pelagianos.* Et *lib. de Natura, & Gratia cap.* 2. dicit, eos, qui nihil de Chriſto audiverunt, quinque ſolum credere poſſunt in Deum ſui auctorem, & recte vivendo ejus implere voluntatem, neque hoc facere poſſe abſque gratiæ Dei beneficio: *Quod ſi* (inquit) *fieri poteſt, aut potuit, hoc & ego dico, quod de lege dicit Apoſtolus; ergo Chriſtus gratis mortuus eſt.* Quod & Gentiles Philoſophi agnoverunt, nempe amorem, quo Deus naturali lumine cognitus, diligendus eſt, non poſſe hominibus ineſſe abſque Dei gratia, & beneficio, ut teſtatur S. Auguſtinus *l. 4. contra Julian. c. 3.*

XVI. Reſpondeo, diſt. maj. propter Deum, & non propter aliud tamquam finem cujus gratia, conc. maj. & non propter aliud velut excitans ad Dei amorem, nego maj. Amor caſtus requirit quidem, ut ametur Deus propter ſe; ita ut ipſe ſit finis, ad quem nos, & omnia noſtra referamus: non excludit tamen, ut ad Deum ſic amandum, & colendum moveamur, & excitemur a bonis, & beneficiis in nos collatis. Scriptura enim ſæpius hortatur nos ad Deum amandum, & colendum ob eximia ipſius erga nos beneficia: Scriptura autem certe nos non hortatur ad amorem vitioſum, & impurum.

Sanctus autem Auguſtinus loquitur de iis, qui potiorem rationem beneficiorum habebant, quam Dei; unde dicit: *Non utique Deum, ſed illa quærebant*, Deum quodammodo poſtponentes beneficiis, & ita affecti, ut ſi beneficia non conferret, Deum non amarent: unde concludit S. Doctor; *Eo modo timore ſervili, non liberali dilectione Deus colitur.* Et infra num. 21. *Rectum itaque cor cum Deo eſt, quando propter Deum quærit Deum . . . in corde autem non recta* (generatio prava) *cum Deo, ubi ea potius diligebat, propter quæ Dei adjutorium requirebat.*

XVII. Ad confirm. dico; errorem Pelagii non fuiſſe, quod aſſereret naturæ viribus elici poſſe amorem Dei auctoris naturæ ſuper omnia; ſed quod aſſereret, ſolis naturæ viribus ſine gratia haberi poſſe amorem Dei etiam auctoris ſupernaturalis, & talem, qualem oportet eſſe ad juſtificationem. Et contra hunc errorem dimicabat pro Catholicis Auguſtinus. Addo, quod dato, in præſenti ſtatu naturæ vitiatæ non poſſe ſolis naturæ viribus, Deus etiam ut auctor naturæ ſuper omnia efficaciter diligi, ut probabiliter docent Noſtri in Tractatu de neceſſitate Gratiæ; non eſt tamen, cur in ſtatu puræ naturæ hoc denegetur. Sanctus autem Auguſtinus in citatis locis aperte loquitur de fide, & aliis operibus ad finem ſupernaturalem tendentibus; ad quæ certe gratiæ beneficium neceſſarium eſt, ne dicatur, quod Chriſtus gratis mortuus ſit. Gentiles autem Philoſophi voluerunt quidem amorem Dei, & ſapientiæ haberi non poſſe abſque Dei beneficio; non quidem ordinis ſupernaturalis, nam de hoc (fatentibus ipſis Adverſariis) nullam habuerunt cognitionem; ſed ordinis naturalis, quod eſſet effectus illius Providentiæ, quæ limites ordinis naturalis non tranſcendit. Et hoc quoque dicimus de amore Dei in ſtatu puræ naturæ, qui haberi non poſſet abſque ſpeciali beneficio, ſed intra limites ordinis naturalis ſe continente.

XVIII. Tertium fundamentum eſt. Homo non poteſt creari in illo ſtatu, in quo adjunctam habeat impotentiam acquirendi rectitudinem, juſtitiam, & opera virtutum exercendi: ſed talis eſſet ſtatus hominis in pura natura; cum teſte Auguſtino, quidquam veræ rectitudinis, juſtitiæ, & virtutis ſine gratia ſanctificante haberi non poſſit, ut docet *l. 1. Retract. c. 9.* ergo &c.

XIX. Reſpondeo, neg. min. ut enim in Tract. de neceſſitate Gratiæ oſtenditur, plures homines, etiam in ſtatu naturæ lapſæ, extra ſtatum gratiæ ſanctificantis, immo & fidei, opera virtutis exercent laude digna. Et hoc fatetur Auguſtinus ipſe *lib. de Spiritu, & littera cap.* 27. dum ait: in infidelibus, *quædam facta vel legimus, vel novimus, vel audimus, quæ ſecundum juſtitiæ regulam non ſolum vituperare non poſſumus, verum etiam merito, recteque laudamus.* Et rationem aſſignans: quia (inquit) *Non omni modo deletum eſt, quod ibi per imaginem Dei, cum crearentur, impreſſum eſt.* Si ergo hoc in ſtatu naturæ corruptæ contingit; quanto magis in ſtatu puræ naturæ nullo peccato vitiatæ contingere poſſet? Immo *lib. 4. contra Julian. cap.* 3. permittit ei dicere, bona quædam opera fieri per vires naturæ, dummodo fateatur, ea eſſe ſterilia ad vitam æternam promerendam. Quare dum alibi dicit, nullam eſſe veram virtutem ſine gratia, loquitur non abſolute, ſed comparate ad veram, ac æternam felicitatem, contrapoſite ad id, quod aſſerebant Pelagiani, volentes, virtutes viribus naturæ ſine gratia veras virtutes, & ad vitam æternam aliquomodo viam parare. Unde idem Auguſt. loco dicit, quod Philoſophi, qui definierunt virtutem, quod ſit *Animi habitus naturæ modo, & rationi conſentaneus, verum dixerunt. Sed quid ſit conſentaneum liberandæ, ac beatificandæ naturæ mortalium neſcierunt.*

XX. Porro ſine gratia, & fide dari poſſe virtutem aliquam, quæ ex objecto, fine, & circumſtantiis habeat rationem veræ virtutis, dicere tenemur; ne incidamus in errorem Baii, cujus inter propoſitiones damnatas 25. eſt: *Omnia opera Infidelium ſunt peccata.* Et 26. *Philoſophorum virtutes ſunt vitia.* Quarum oppoſitum demonſtrat S. Th. 2. 2. *quæſt.* 10. *art.* 4. dicens: *Manifeſtum eſt, quod infideles non poſſunt operari bona opera, quæ ſunt ex gratia, ſcilicet opera meritoria; tamen bona opera, ad quæ ſufficit bonum naturæ, operari poſſunt. Unde non oportet, quod in omni ſuo opere peccent: ſed quandocumque aliquod opus operantur ex infidelitate, tunc peccant. Sicut enim habens fidem poteſt aliquod peccatum committere in actu, quem non refert ad fidei finem, vel venialiter, vel etiam mortaliter peccando: ita etiam infidelis poteſt aliquem actum bonum facere in eo, quod non refert ad finem infidelitatis.* Idem docet in *cap. 14. ad Rom. Lect. 3. in fine.* Multo ergo magis homo in ſtatu puræ naturæ, eſto non poſſet facere actus bonos bonitate ſupernaturali, & meritorios vitæ æternæ; poſſet facere actus naturales moraliter bonos, & meritorios præmii naturalis.

§. II.

Fundamenta contra Concupiſcentiam rebellem in ſtatu puræ Naturæ.

XXI. DIximus, Deum potuiſſe creare hominem in ſtatu naturæ puræ abſque dono integritatis, ideſt cum rebellione appetitus ad rationem, cum ignorantia, & cum defectibus corporis, nempe morbis, morte, qui tunc eſſent defectus naturam conſequentes, non tamen pœna, ut modo ſunt.

XXII. Primo igitur opponunt, non potuiſſe hominem in pura natura condi cum appetitu rebelli. Nullum vitium eſt homini naturale: ſed rebellio appetitus contra rationem eſt quoddam vitium; ergo non convenit homini naturaliter, nec in ſtatu puræ naturæ poſſet reperiri.

XXIII. Reſpondeo, neg. min. Concupiſcentia enim, ſeu vis rebellativa partis inferioris contra rationem abſolute vitium naturæ non eſt, nec eſſet in ſtatu puræ naturæ; ſed eſt, & eſſet defectus, ſeu naturalis imperfectio, conſequens ex principiis naturæ, quia compoſita ex partibus naturaliter diſcordibus, vel ad diſcordiam pronis. Sicut enim ex eo, quod aliquid ſit naturaliter conſtans materia, & forma ſeparabilibus, ſequitur, illud eſſe corruptibile: & ex quo homo ex nihilo eſt, ſequitur eſſe peccabile, ſive defectibile, a quo defectu Deus neminem liberat, niſi in ſtatu beatitudinis: ita ex quo homo ſit compoſitus ex contrariis appetitibus, ſequitur naturaliter pugna unius contra alium. Quare S. Auguſt. *lib. 6. contra Julian. c. 7.* conſentit Juliano dicenti, libidinem eſſe naturalem: *Quod autem nunc agitur, naturalem eſſe libidinem, & ego dico . . . cum igitur libidinem & naturalem eſſe, & vinci poſſe, ambo dicamus; utrum bonum vincamus, an malum, ipſa inter nos vertitur quæſtio.* Et S. Cryſoſtom. homil. 19. ad populum Antioch. *Niſi* (inquit) *conſuetudinem vincamus, quomodo concupiſcentiam vincemus, cujus radix habet a natura principium? Concupiſcere enim naturale, ut male concupiſcere, jam eſt voluntatis.*

XXIV. Opponunt ſecundo. Concupiſcentia non eſt a Deo, ſed a peccato, ut paſſim docet Auguſtinus in libris contra Julianum, & de Nuptiis, & concupiſcentia. Quod expreſſit etiam S. Joannes *Epiſt. 1. c. 2. v. 16.* dum de concupiſcentia ait: *Quæ non eſt ex Patre, ſed ex mundo eſt.* Et S. Jacobus *cap.* 1. poſtquam dixit, quod Deus neminem tentat, ſubdit v. 14. *Unuſquiſque vero tentatur a concupiſcentia ſua.* Atqui ſi concupiſcentia eſſet naturalis, & naturæ puræ conveniens, eſſet a quo eſt ipſa natura; ergo, &c.

XXV. Reſpondeo diſt. Maj. concupiſcentia, ut dicit inordinatam cupiditatem boni delectabilis contrarii rationi, non eſt a Deo, conc. maj. ut dicit vim appetitivam boni ſenſibilis naturæ convenientis, non eſt a Deo, nego maj. Concupiſcentia ſumi poteſt dupliciter. Primo, ut vulgo uſurpatur, pro inordinata cupiditate boni delectabilis contrarii rationi; & hoc modo a Deo non eſt, ſed a peccato: in quo ſenſu eam ſumunt S. Auguſtinus, Joannes, & Jacobus laudati. Secundo pro potentia, actu appetendi tantum ſenſibilia; quo pacto nil aliud eſt, quam potentia, vel actus appetitivæ facultatis appetendi ea, quæ naturæ conveniunt, vel neceſſaria ſunt: & hoc modo naturam conſequitur, & a Deo auctore naturæ cauſatur.

Nec obeſt, quod poſſit erumpere in actus inordinatos, & turpes: ſicut vita, ſenſus, & intellectus naturales perfectiones ſunt a Deo nobis concreatæ, & pariter voluntas, quamvis voluntas poſſit ad malum, & intellectus ad falſum declinare, ſenſus circa ſenſibilia deludi, & vita per mortem deſinere: ita potentia appetendi ſenſibilia erit potentia naturalis a Deo procedens; etſi in motus vitioſos, Deo, ac rationi rebelles erumpere poſſit. Hoc enim modo defectus naturæ eſt ad potentiam peccandi ſpectans: & præter intentionem Creatoris, ex ſola conditione materiæ proveniens. Sicut rubigo, quam gladius ferreus contrahit, provenit ex ſola conditione materiæ ferri, non vero a fabro ferrario, licet ipſe gladium fecerit. Exemplum, ſicut doctrina eſt S. Thomæ 1. 2. *q.* 85. *art.* 6.

XXVI. Opponunt tertio. Motus concupiſcentiæ pudorem ingerunt etiam impudentibus; unde membra, in quibus vigent, & opus, quod illis agitur, tegere ſtudent: ſed in puris naturalibus nihil eſſet pudendum, quia natura eſt opus Dei; faceret autem injuriam Deo, qui de ejus opere erubeſceret. *Quod enim* (inquit) S. Auguſt. l. 2. de Nupt. & Concup. c. 9. *potuit Deus facere, quod ejus prædicatorem pudeat dicere? Et quod eſt gravius, pudeat hominem alicujus operis, quod non homo, ſed Deus fecit in homine; cum omnes opifices quanto poſſunt labore & induſtria id agant, ne de ſuis operibus erubeſcant?* ergo &c.

XXVII. Reſpondeo, neg. min. Puduiſſet enim libidinis, & operis, quod ea perficitur, hominem etiam in ſtatu puræ naturæ; quia pudendum eſt, quod animus vincatur a corpore, & quod appetitus rationem, cui parere debet, abſorbeat, & ſecum trahat. In cæteris motibus, ut iracundiæ, non membra trahunt voluntatem, aut movent; ſed membra, puta manus, aut pedes a voluntate moventur: at in motibus libidinis contrarium evenit: libido enim ſuo nutu genitales corporis partes ita movet, & mancipat, *ut moveri non valeant, ſi ipſa defuerit, aut niſi ipſa vel ultro, vel excitata ſurrexerit. Hoc eſt quod pudet, hoc eſt quod intuentium oculos erubeſcendo devitat: magiſque fert homo ſpectantium multitudinem, quando injuſte iraſcitur homini, quam vel unius adſpectum & quando juſte miſcetur uxori.* Ita S. Auguſt. *l. 14. de Civ. Dei c.* 19. Hoc in ſtatu puræ naturæ contigiſſet: Quod enim in ſtatu innocentiæ hoc non eveniſſet, non fuiſſet conditione naturæ, ſed dono gratiæ originalis, qua natura pura caruiſſet, ut docet Auguſt. citatus. Unde quando dicit, pudorem eſſe peccati appendicem, loquitur de concupiſcentia, quæ modo eſt in homine, tamquam pœna ex peccato inflicta. Propterea citato lib. 2. de Nupt. cap. 9. ſubdit: *Sed profecto illud nos pudet, quod puduit primos illos homines, quando pudenda texerunt. Illa eſt pœna peccati, illa plaga, veſtigiumque peccati &c.*

Neque ſequitur, quod ſi homines in ſtatu puræ naturæ puduiſſet motuum libidinis, puduiſſet operis Dei. Ut enim ſuperius dicebamus, motus inordinati libidinis non eſſent opus Dei, ſed defectus conditionem materiæ ſequens, & a Deo in natura relictus; quem impedire quidem potuit, ſed ut Proviſor univerſalis non debuit. Et ideo dum puderet illorum motuum in illo ſtatu, non puderet operis Dei, ſed defectus naturam conſequentis. Sicut dum pudet militem geſtare gladium rubiginoſum, non pudet operis artificis, ſed pudet gladii ex tali materia, nempe ferrea, confecti. Bene autem inferebat Auguſtinus, quod ſi puderet libidinis, puderet operis Dei; quia cum Julianus (contra quem agebat) poneret, libidinem eſſe bonam, & adeo bonam, ut Deus illam primis Parentibus conceſſerit tamquam munus terreni Paradiſi felicitate dignum; optime ſequebatur, ipſum inferre injuriam Deo, dum Dei dono erubeſceret.

XXVIII. Opponunt quarto. Rebellio carnis contra rationem eſt contra naturam hominis; ergo in ſtatu puræ naturæ ei non conveniret. Antecedens probatur primo. Quia pars inferior naturaliter ſubeſt rationi; unde S. Aug. *lib. 2. contra Julian. c.* 8. approbat Ambroſii dictum: *Princeps, & domina carnis carnaliter anima eſt, quæ domare carnem debet, & regere.* Et D. Thom. 1. 2. q. 82. art. 3. ad 1. *Quia* (inquit) *in homine concupiſcibilis naturaliter regitur ratione, in tantum concupiſcere eſt homini naturale, in quantum eſt ſecundum rationis ordinem. Concupiſcentia autem, quæ tranſcendit limites rationis, ineſt homini contra naturam; & talis eſt concupiſcentia originalis peccati.*

Secundo. Cum enim appetitus ſenſitivus in homine ſit affinis rationi, eique conjungatur, ut inferior ſuperiori; naturale debet eſſe ei inclinare in bonum ſenſibile cum ſubordinatione ad rationem.

XXIX. Reſpondeo cum D. Thom. 1. *p. q.* 81. *art.* 3. *ad* 2. quod pars inferior naturaliter ſubeſt rationi, ut eam gubernanti, non quidem diſpotico, ſed politico & regali principatu: *Eſt quidem* (inquit) *in animali contemplari & deſpoticum principatum, & politicum. Anima quidem corpori dominatur diſpotico principatu; intellectus autem appetitui politico, & regali. Dicitur enim deſpoticus principatus, quo aliquis principatur ſervis, qui non habent facultatem in aliquo reſiſtendi imperio præcipientis, quia nihil ſui habent. Principatus autem politicus, & regalis dicitur, quo aliquis principatur liberis; qui etſi ſubdantur regimini præſidentis, tamen habent aliquid proprium, ex quo poſſunt reniti præcipientis imperio. Sic igitur anima dominatur corpori diſpotico principatu; quia corporis membra in nullo reſiſtere poſſunt imperio animæ, ſed ſtatim ad appetitum animæ movetur manus, & pes, & quodlibet membrum, quod natum eſt moveri voluntario motu. Intellectus autem, ſeu ratio dicitur principari iraſcibili, & concupiſcibili politico principatu; quia appetitus ſenſibilis habet aliquid proprium, unde poteſt reniti imperio rationis.* Sicut ergo civis poteſt non obedire Principi, quando bonum publicum, quod ei præcipitur, adverſatur bono proprio; quæ potentia eſto non ſit perfectio, ſed potius defectus libertatis in cive; eſt tamen naturalis, ſicut cuilibet creaturæ naturalis eſt potentia ad deficiendum: ita ſimiliter appetitus ſenſitivus poterit non obtemperare rationi, quando accidit, quod bonum rationis adverſetur bono ſenſibili, quod ei ab imaginativa, & ſenſu fortius proponitur; quæ tamen potentia, ſeu verius, defectus eſt appetitui congenitus, niſi per gratiam tollatur; quod in ſtatu puræ naturæ non contingeret.

XXX. Eodem modo exponitur dictum Sancti Ambroſii a S. Auguſtino laudatum, quod nempe anima ſit Princeps, & domina carnis principatu politico, non deſpotico: nam ſi eam domare debet, ſignum eſt, quod ejus imperio poteſt reniti.

XXXI. Ad auctoritatem S. Thomæ communiter reſpondent Noſtrates, ſenſum D. Thomæ eſſe, quod concupiſcentia, quæ tranſcendit limites rationis, ſit contra naturam hominis ſecundum quod in conditione primi hominis fuit a Deo inſtituta cum donis integritatis, & juſtitiæ originalis; non vero contra naturam ſecundum ſe, qualis inſtitui potuit, ſcilicet cum iis præciſe etiam defectibus, qui naturaliter illi conveniunt. Eſto enim naturaliter regi petat a ratione; deficere tamen poteſt a tali regimine, ſi appetitus magis ab imaginativa, & ſenſu moveatur.

Ad id, quod additur, dico, appetitum ſenſitivum in homine naturaliter ſic conjungi rationi, ut ſuperiori, ut etiam naturaliter poſſit ab ea deficere; maxime quando contra inclinationem ad bonum rationis reclamat inclinatio contraria ad bonum ſenſibile.

XXXII. Sed inſtabis contra dicta. Non eſt congruus ordo naturæ, ut pars inferior rebellet contra ſuperiorem, eique dominetur: ſed hoc contingeret in ſtatu naturæ puræ, ſi in eo rebellio concupiſcentiæ contra rationem admitteretur; ergo &c. Min. prob. cum enim ſine gratia concupiſcentiæ motus vincere voluntas non poſſit, & gratia in ſtatu puræ naturæ non adeſſet; ſub dominatu concupiſcentiæ captiva teneretur voluntas, & careret libertate inde evadendi, & aſſurgendi ad amorem boni, quo quid abſurdius? ergo &c.

XXXIII. Reſpondeo ad maj. non eſſe quidem congruum naturæ ordinem, ut pars inferior dominetur ſuperiori, quaſi id ordo naturæ poſtulet; poſtulat enim potius, ut ſuperior contineat inferiorem, eique dominetur. Verum cum in natura non tantæ ſint vires, ut poſſit eam continere, ne aliquando rebellet; ideo naturæ ordini non repugnat, ſed conſentaneum eſt, ut patiatur hunc defectum, & hanc pugnam in ſe experiatur. Neque tamen ſequitur, in natura omni gratia ſupernaturali deſtituta partem ſuperiorem non poſſe inferiorem vincere, & ſub dominatu iſtius neceſſario fore; adeſſet enim in voluntate naturalis poteſtas appetitum inferiorem cohibendi. Si enim adeſt nunc in natura corrupta vis cohibendi motus pravos, & tentationes leves vincendi; magis deberet eſſe in natura pura nullo peccato vitiata. Quoad tentationes vero graves adeſſet auxilium ſpeciale Dei, ordinis quidem naturalis, ſed ſufficiens ad peccata vitanda, quæ ſolum con-

contra Deum Auctorem naturæ in eo ſtatu contingere poſſent.

XXXIV. Opponunt quinto. Si in ſtatu puræ naturæ fuiſſet rebellio membrorum, & turpitudo libidinis, recta ratio diſſuaſiſſet Matrimonium in eo ſtatu, & perpetuam continentiam ſuaſiſſet: ſed hoc videtur abſurdum; ergo &c. Major prob. Nam recta ratio ſuadet, ut mens rationalis nullo pacto ſub libidine deprimatur. Min. etiam prob. Nam ſi in eo ſtatu recta ratio diſſuaſiſſet Matrimonium, diſſuaſiſſet opus maxime naturale, & incitaſſet ad illud, quod eſt humanæ propagationi contrarium: & ſic recta ratio cum naturæ conſervatione pugnaſſet.

XXXV. Reſpondeo, nego maj. ſicut enim in ſtatu naturæ lapſæ, in quo magis fervet libido, recta ratio ſuadet Matrimonium tamquam licitum: ita & in ſtatu naturæ puræ. Quare ſicut recta ratio non contrariatur uſui ciborum, quia neceſſaria ad conſervationem individui, ſed ſolum ei præſcribit modum, ut ſcilicet modo debito moderate fiat: ita nec contrariatur uſui Matrimonii neceſſario ad conſervationem ſpeciei, ſed ſolum imponit modum, ut ſcilicet fiat debito modo; & ordine ad finem generationis humanæ. Vide S. Thomam 2. 2. *q.* 153. *art.* 2. Nec refert, quod in actu conjugali ratio deprimatur, & abſorbeatur. Nam ut docet D. Thom. ibi ad 2. *Non eſt virtuti contrarium, ſi rationis actus aliquando intermittatur aliquo modo, quod ſecundum rationem fit: alioquin quod aliquis ſe ſomno tradit, eſſet contra virtutem.*

§. III.

Fundamenta contra ignorantiam, & Mortem in ſtatu Naturæ puræ.

XXXVI. OPponunt primo, in ſtatu naturæ puræ non fore ignorantiam, ſic. Non videtur divinæ æquitati, & juſtitiæ congruum, quod creatura innocens habeat id, quod ſolum pœna peccati eſt: ſed habere rationem ita ligatam, & in tam profunda merſam ignorantia, qualis eſt in parvulis, pœna peccati eſt; ergo naturæ puræ omnis peccati experti æquum non eſſet, ignorantia laborare. Min. prob. ex S. Auguſt. *lib.* 5. *contra Julianum c.* 4. ubi ex parvulorum inſipientia probans peccatum originale: *Quis* (inquit) *non quotidie probet, teſtibus rebus humanis, parvulum prius nihil ſapere, deinde creſcendo vana ſapere? &c.* Deinde ad Pelagianos converſus ſubdit: *Quemadmodum prius proferat inſipientia, quam ſapientia fructum videtis, & radicis ejus vitium videre non vultis; aut videtis, quod pejus eſt, & negatis.*

XXXVII. Reſpondeo, minorem eſſe veram de ignorantia, quæ de facto eſt, & ſuppoſito lapſu hominis ab innocentiæ ſtatu; in quo etiam a pueris exulaſſet ignorantia ſaltem eorum, quæ ipſorum ſtatui convenientia fuiſſent, ut ſuperius dictum eſt: & de hac ignorantia, quam modo pueri experiuntur, loquitur Auguſtinus. Non autem eſſe veram de ignorantia, quæ fuiſſet in ſtatu puræ naturæ; hæc enim eſſet defectus ex principiis naturæ conſequens: cum enim illi non ſint ab initio connaturales rerum ſpecies, ſicut Angeli, ſed debeat illas acquirere paulatim beneficio ſenſuum, quorum organa in parva ætate non ſunt diſpoſita, oportet, quod prius ignorantia laboraret natura, quam perveniret ad ſcientiam: quod in adultis quoque contingere poſſet. Neque diſconveniens eſſet, quod ratio, maxime in pueris, aliquo tempore ligata maneret. Nam ſicut modo in hominibus etiam juſtis tertia, vel quarta vitæ parte ligatur, ſepultaque manet ratio, & omnis ſcientiæ uſus tempore obdormitionis; nec etiam repugnaret, quod Deus infantium animas in ſtatu naturæ puræ aliquandiu ſomno veluti torpeſcere pateretur; unde paulatim evigilantes in lucem intelligentiæ prodirent. Diſerte hoc oſtendit S. Auguſt. *lib.* 3. *de Lib. Arb. cap.* 22. ubi concludit: *Si enim arboris novellum, & rude virgultum nullo modo recte ſterile dicimus, quamvis aliquot æſtates ſine fructibus trajiciat; donec opportuno tempore expromat feracitatem ſuam: cur non auctor animæ debita pietate laudetur, ſi ei tale tribuit exordium, ut ſtudendo, ac proficiendo ad frugem ſapientiæ, juſtitiæque perveniat?*

XXXVIII. Opponit ſecundo Janſenius, hominem in puris naturalibus conditum non fore obnoxium morti, aliiſque corporis miſeriis. Primo. Nam S. Auguſtinus in libris contra Pelagianos probat peccatum originale ex eo, quod pueri peccati actualis expertes ſubjiciantur morti, morbis, doloribus, aliiſque miſeriis corporis; qui diſcurſus nihil valeret, ſi homo in ſtatu puræ naturæ, in quo non eſſet originale peccatum, eiſdem miſeriis foret obnoxius.

Secundo. Juſtum non eſt, hominem talibus malis affligi, niſi ea peccando promeruerit: ſed homo in pura natura careret peccato originis; ergo &c. Majorem probare conatur variis S. Auguſtini textibus, & maxime *lib.* 3. *de Lib. Arb. cap.* 9. dicentis: *Si enim peccatis earum detractis miſeria perſeverat, aut etiam peccata præcedit, recte deformari dicitur ordo, atque adminiſtratio univerſitatis.*

Tertio. Sap. 1. v. 13. *Deus mortem non fecit.* Et v. 16. *Impii autem manibus, & verbis accerſerunt illam.* Et ad Rom. 5. v. 12. *Per peccatum mors.* At ſi mors eſſet homini naturalis, eique in ſtatu puræ naturæ conveniens, jam Deus feciſſet mortem, non eam homo accerſiviſſet peccando, neque per peccatum introiſſet in Mundum, ergo &c.

XXXIX. Reſpondetur, neg. aſſumptum. Ad primam prob. dico, S. Auguſtinum, cæteroſque Patres, qui contra Pelagianos dimicarunt, optime concludere peccatum originale ex illis miſeriis, quibus infantes ab ipſo ſuæ conceptionis exordio obnoxii ſunt. Loquuntur enim de facto, & juxta traditionem fidei, & Sacræ Scripturæ, quibus conſtat, primum hominem integritatis, immortalitatis, ac exemptionis a doloribus beneficio fuiſſe a Deo donatum, promiſſione facta transferendi in ejus Poſteros hæc dona, ſi ipſe non peccaret. Quare cum Deus infidelis non ſit, nec injuſtus, recte ex illis miſeriis, quibus totum genus humanum affligitur, colligunt, Adam peccaſſe, ejuſque peccatum occaſionem Deo fuiſſe, hominem illis privilegiis ſpoliandi. Ideoque pœnæ factæ fuerunt homini corporis afflictiones, quæ in ſtatu puræ naturæ defectus naturales fuiſſent.

XL. Ad ſecundum dico, juſtum quidem non eſſe hominem talibus malis affligi, niſi ea peccando promeruit, ſi pure pœnalia ſint; non vero ſi etiam ſint defectus conſequentes naturam. Duplicis enim generis ſunt mala, quibus corpus affligi poteſt. Alia præternaturalia, ut pœna damnationis, & combuſtionis æternæ: alia, quæ ſunt defectus conditionem naturæ ſequentes, ut morbi, dolores, mors &c. Priora quidem a Deo peccatorum vindice infliguntur: poſteriora vero quamvis de facto etiam pœnalia ſint, in quo ſenſu loquitur Auguſtinus, abſolute tamen ſunt defectus, qui ſpectata naturæ conditione contingerent. Cumque Deus ex ordinata ſua providentia non teneatur actionem cauſarum naturalium impedire, ut corporeæ naturæ ex ſua conditione defectibiles non deficiant; ideo ſi hominem condidiſſet, eum in ſuis naturalibus relinquendo, morti, aliiſque miſeriis ſubditum reliquiſſet.

XLI. Ad tertium dico, Sacram Scripturam loqui de fato, & de morte, cui modo ſubjicimur. Deus enim hominem mortalem non fecit: unde Sap. 2. v. 23. *Deus creavit hominem inexterminabilem*, ideſt immortalem: homo autem peccando, mortem, a qua Deus illum liberaverat ſuæ gratiæ dono, ſibi accerſivit. Unde dicto *c.* 2. *v.* 24. additur: *Invidia autem Diaboli mors introivit in orbem*, & Paulus ait: *Per peccatum mors.* Ideoque in præſenti ſtatu mors occidit præter intentionem Dei. Non autem Scriptura loquitur de homine, nec de morte in ſtatu puræ naturæ. Videatur D. Thom. 1. 2. *q.* 85. *art.* 6. ubi oſtendit, quomodo mors ſit homini naturalis ex parte materiæ, & quomodo facta ſit Pœnalis. Quod etiam demonſtrat ad Rom. *c.* 5. *lect.* 3. ubi: *Dicendum eſt autem* (inquit) *quod natura humana dupliciter poteſt conſiderari. Uno modo ſecundum principia intrinſeca, & ſic mors eſt ei naturalis. Unde Seneca dicit in Libro de Remediis fortuitorum, quod mors natura eſt hominis, non pœna. Alio modo poteſt conſiderari natura hominis ſecundum quod per divinam Providentiam fuit ei per juſtitiam originalem proviſum. Quæ quidem juſtitia erat quædam rectitudo, ut mens hominis eſſet ſub Deo, & inferiores vires eſſent ſub mente, & corpus ſub anima, & omnia exteriora ſub homine: ita ſcilicet, quod quamdiu mens hominis Deo ſubderetur, vires inferiores ſubderentur rationi, & corpus animæ indeficienter ab ea vitam recipiens, & exteriora hominis, ut ſcilicet omnia ſervirent, & nullum ex eis nocumentum ſentiret. Hoc autem Providentia divina diſpoſuit propter divinitatem animæ rationalis, quæ cum naturaliter ſit incorruptibilis, debebatur ſibi incoruptibile corpus. Sed quia corpus, quod eſt ex contrariis compoſitum, oportebat eſſe organum ſenſus, & tale corpus ſecundum naturam ſuam incorruptibile eſſe non poteſt, ſupplevit potentia divina quod deerat naturæ humanæ, dans animæ virtutem continendi corpus incorruptibiliter: ſicut faber, ſi poſſet, daret ferro, ex quo cultellum fabricat, virtutem, ut rubiginem nullam contraheret. Sic ergo poſtquam mens hominis per peccatum a Deo eſt averſa, amiſit virtutem continendi inferiores vires, & etiam corpus, & exteriora: & ſic incurrit mortem naturalem a cauſis intrinſecis, & violentam ab exterioribus nocumentis.* Hæc D. Thomas bene notanda, & quæ claudunt totam hanc Quæſtionem de ſtatu naturæ puræ.

QUÆSTIO XII.

De Angelis comparate ad Homines.

AD integram hominis notitiam pertinet ipſum quoque conſiderare relate ad Angelos, quorum miniſterio, & cuſtodia, ut videbimus, gubernatur. Quare a Prima Secundæ D. Thomæ, ad quam, ut ageremus de peccato Originali, divertimus, ad Primam Partem ejuſdem regredimur. In ea enim *quæſt.* 108. Angelorum Hierarchias enumerat, a quæſt. autem 111. uſque ad 114. de Angelis comparate ad homines ſermonem facit. Sequentes ergo S. Præceptorem ea, quæ ad Tyronum notitiam neceſſaria judicabimus, brevi calamo percurremus.

DU-

DUBIUM I.

Quot ſint Hierarchiæ, & Ordines Angelorum?

§. I.

Prioris partis Reſolutio.

I. HIerarchia eſt Græcum nomen compoſitum ex *hieros*, ideſt *ſacer*, & *arche*, ideſt *principatus*; unde idem eſt ac ſacer Principatus. Quare Dionyſius Areopagita de Eccleſiæ Militantis Principatu loquens, Epiſcopum vocat *Hierarcham*, ideſt ſacrum Principem.

II. Porro *in nomine Principatus* (inquit Div. Thom. 1. par. qu. 108. art. 1.) *duo intelliguntur, ſcilicet ipſe Princeps, & multitudo ordinata ſub Principe. Quia igitur unus eſt Deus Princeps non ſolum omnium Angelorum, ſed etiam hominum, & totius creaturæ, ideo non ſolum omnium Angelorum, ſed etiam totius rationalis creaturæ, quæ ſacrorum particeps eſſe poteſt, una eſt Hierarchia. Secundum quod Auguſtinus dicit in* 12. *de Civit. Dei* (cap. 1. *duas eſſe Civitates, una in Angelis bonis, & hominibus; alteram in malis. Sed ſi conſideretur Principatus ex parte multitudinis ordinatæ ſub Principe, ſic unus Principatus dicitur, ſecundum quod multitudo uno & eodem modo poteſt gubernationem Principis recipere. Quæ vero non poſſunt ſecundum eumdem modum gubernari a Principe, ad diverſos Principatus pertinent: ſicut ſub uno Rege ſunt diverſæ Civitates, quæ diverſis reguntur legibus, ac miniſtris.* Ita Div. Thom. Ex quibus concludit, quod cum homines alio modo percipiant divinas illuminationes, quam Angeli; nam Angeli percipiunt illas in intelligibili puritate, homines vero eas percipiunt ſub ſenſibilium ſimilitudinibus: ideo oportet diſtingui humanam Hierarchiam ab angelica. Quod in dubium venit, eſt, an quoque in Angelis diverſæ Hierarchiæ ſint diſtinguendæ.

III. Dico. In Angelis tres Hierarchiæ diſtinguuntur. Ita S. Thomas loco laudato. Et probat. Tot in Angelis ſunt Hierarchiæ, quot modis Angeli Dei ſummi Principis regimen per illuminationem recipiunt in ordine ad rationes rerum cognoſcendas: ſed hoc tribus modis contingit; ergo &c. Min. probatur. Angeli cognoſcere poſſunt rationes rerum, vel ut procedunt a primo principio univerſali, quod eſt Deus: & iſte modus conſtituit primam, & ſupremam Hiererchiam Angelorum, quæ rationes rerum, ut immediate a Deo ſunt, contemplatur, & quaſi in veſtibulis Dei collocatur, ut dicit Dionyſius *cap.* 7. *Cæleſtis Hierarch.* Vel rationes rerum cognoſcunt, ut dependent ab univerſalibus cauſis creatis, quæ jam aliquo modo multiplicantur; & iſte modus conſtituit ſecundam Hierarchiam. Vel rationes rerum cognoſcunt, ut procedunt a propriis cauſis, & ut ſingulis rebus applicantur; & hic modus conſtituit infimam, & tertiam Hierarchiam; ergo tribus modis diſtinguuntur Hierarchiæ ex parte multitudinis ſubjectæ.

IV. Addit tamen S. Doct. errare eos, qui ponunt in divinis Perſonis Hierarchiam, quam vocant ſupercæleſtem. In divinis enim Perſonis eſt quidem ordo naturæ, ſed non Hierarchiæ, quæ dicit multitudinem ordinatam ſub uno Principe. Tum quia ordo Hierarchiæ dicit alios purgari, illuminari, perfici; alios autem purgare, illuminare, perficere. Quod abſit, ut in divinis Perſonis ponamus.

V. Ratio D. Thomæ præfata explicatur ab Innocentio V. in 2. *diſt.* 9. *qu. unica art.* 3. Sicut poteſt quis mentem ſapiens Regis in regimine videre tripliciter; vel inſpiciendo voluntatem, quæ movet omnia; vel inſpiciendo leges generales, & conſuetudines totius Regni; vel denique inſpiciendo leges ſpeciales, & conſuetudines ſpecialium locorum, quibus regit ſpecialia loca: Ita Angelus tripliciter recipit illuminationes de effectibus Dei. Primo intuendo illos in ipſa cauſa univerſaliſſima, ſcilicet in voluntate divina: ſecundo in cauſis ſecundis univerſalibus: tertio in cauſis ſpecialibus. Primum pertinet ad primam Hierarchiam, ſecundum ad ſecundam, tertium ad tertiam. Nam qui de prima ſunt, ſolum circa Deum occupantur, propterea Aſſiſtentes dicti. Qui vero de media, operantur circa regimen generale. Qui autem de tertia, operantur circa regimen ſpeciale aliquarum partium, vel perſonarum Univerſi; ſicut in Regno temporali, Quidam occupantur circa officium perſonæ Regis, quidam circa regimen generale Regni, quidam circa regimen ſpecialium locorum.

VI. Adverto cum D. Toma citato *ad* 2. me hic non loqui de cognitione beatifica Angelorum, ſed de cognitione & illuminatione, quam habent extra Verbum. Nam *quantum ad cognitionem ipſius Dei, quem omnes uno modo, ſcilicet per eſſentiam, vident, non diſtinguuntur in Angelis Hierarchiæ, ſed quantum ad rationes rerum creatarum.* In hominibus autem non diſtinguuntur Hierarchiæ; quia, ut ait ibidem ad 3. *Omnes homines ſunt unius ſpeciei, & unus modus intelligendi eſt eis connaturalis: non ſic autem in Angelis.*

§. II.

Reſolutio ſecundæ partis.

VII. STatuto numero Hierarchiarum in Angelis, ſupereſt numerum etiam Ordinum aſſignare. In hoc autem differunt Hierarchia, & Ordo, quod Hierarchia in Angelis dicit gradum, unde Hierachia non multiplicatur, niſi multiplicentur gradus. Ordo autem dicit ordinationem plurium ſub eodem gradu.

VIII. Quare ſuppono primo cum Divo Thoma citato *art.* 2. in una Hierarchia plures eſſe Ordines Angelorum. Cum enim una Hierarchia ſit unus Principatus, ideſt una multitudo ordinata uno modo ſub Principis gubernatione; non eſſet multitudo ordinata, ſed confuſa, ſi in multitudine diverſi Ordines non eſſent. Hæc autem diverſitas Ordinum ſecundum diverſa officia, & ritus conſideratur. Sicut enim in una Civitate ſunt diverſi Ordines ſecundum diverſos actus: nam alius eſt Ordo judicantium, alius pugnantium, alius laborantium in agris, & ſic de aliis: qui tamen Ordines in una Civitate quamvis diverſi ſint, omnes ad tres poſſunt reduci; quælibet enim multitudo perfecta habet principium, medium, & finem. Unde & in Civitatibus triplex hic Ordo invenitur. Quidam enim ſunt ſupremi, ut Optimates; quidam ſunt infimi, ut vilis populus; quidam ſunt medii, ut populus honorabilis. Sic igitur in qualibet Angelica Hierarchia Ordines diſtinguuntur ſecundum diverſos actus, & officia; & hi ad tres reducuntur, ſcilicet ad ſummum, medium, & infimum. Ita iiſdem fere verbis Angelicus Præceptor.

IX. Suppono ſecundo cum eodem ibi *art.* 3. in uno Ordine eſſe plures Angelos. Sicut enim in una Civitate plures ſunt in ordine Optimatum, plures in ordine Civium, plures etiam in ordine plebejorum: ita etiam in Ordine Angelorum. Quia vero ſolum imperfecte Angelos cognoſcimus, nec eorum actus, & officia diſtincte ſcrutari poſſumus; ſolum nobis licet dicere, in quolibet Ordine plures eſſe Angelos, diverſos actus, & officia intra illum Ordinem habentes multo magis, quam quælibet ſtella, etſi nos lateat. Nunc ad reſolutionem.

X. Dico. Novem ſunt Angelorum Ordines, ſeu Chori. Ita S. Doct. *art.* 5. Hi autem ſunt: *Seraphim, Cherubim, Throni, Dominationes, Virtutes, Poteſtates, Principatus, Archangeli, Angeli.* Horum tres primi componunt primam Hierarchiam; tres ſecundi mediam; tres poſtremi ultimam. Ex Scriptura probat D. Thomas art. citato *in Argum. ſed contra* ſic: *Sed contra eſt auctoritas Scripturæ, quæ ſic eos nominat. Nomen enim Seraphim ponitur Iſaiæ 6. Nomen Cherubim Ezechiel. 1. Nomen Thronorum Coloſſ. 1. Dominationes autem, & Virtutes, & Poteſtates, & Principatus Epheſ. 1. Nomen autem Archangeli ponitur in Canonica Judæ. Nomen autem Angelorum in pluribus Scripturæ locis.* Hoc idem docent SS. Patres, inter quos fuſe Gregorius *Homil.* 34. *in Evangel.* exponens cujuſlibet Ordinis proprietates, ut infra, Damaſcenus *lib.* 2. *de Fide de cap.* 3. & alii.

XI. Prima ergo Hierarchia, quæ ſemper Deo aſſiſtit, in tres Ordines diſtinguitur juxta triplicem ordinem, quo Deum reſpiciunt, nempe in Seraphim, Cherubim, & Thronos. Primi, quia Deo intimius conjunguntur per ardentiſſimum amorem, Seraphim dicuntur a verbo hebraico *Seraph*, quod latine accendere dicitur. Unde Divus Gregorius laudato loco: *Illi* (inquit) *quia ita Deo conjuncti ſunt, ut inter illos, & Deum nulli alii Spiritus interſint, tanto magis ardent, quanto hunc vicinius vident. Quorum profecto flamma amor eſt; quia quo ſubtilius claritatem divinitatis ejus aſpiciunt, eo validius in ejus amore flammeſcunt.* Hinc ait Div. Thom. laudato loco ad 5. *Nomen Seraphim non imponitur tantum a charitate ſed a charitatis exceſſu...* Unde Dionyſ. cap. 7. Cæleſt. Hierarc. *Exponit nomen Seraphim ſecundum proprietatem ignis, in quo eſt exceſſus caliditatis. In igne autem tria poſſumus conſiderare. Primo quidem motum, qui eſt ſurſum, & qui eſt continuus; per quod ſignificat, quod indeclinabiliter moventur in Deum. Secundo vero virtutem activam ejus, quæ eſt calidum. Quod quidem non ſimpliciter invenitur in igne, ſed cum quadam acuitate, quia eſt maxime penetrativus in agendo, & pertingit uſque ad minima, & iterum cum quodam ſuperexcedente fervore. Et per hoc ſignificatur actio hujuſmodi Angelorum, quam in ſubditos potenter exercent, eos in ſublimem fervorem excitantes, & totaliter eos per incendium purgantes. Tertio conſideratur in igne claritas ejus. Et hoc ſignificat, quod hujuſmodi Angeli in ſeipſis habent inextinguibilem lucem, & quod alios perfecte illuminant.*

XII. Cherubim (inquit D. Thom. citatus ad 5. nomen *imponitur a quodam exceſſu ſcientiæ, unde interpretatur plenitudo ſcientiæ. Quod Dionyſius* (cap. 7. Cæleſt. Hier.) *exponit quantum ad quatuor. Primo quidem quantum ad perfectam Dei viſionem. Secundo quantum ad plenam ſuſceptionem divini luminis. Tertio quantum ad hoc, quod in ipſo Deo contemplantur pulchritudinem ordinis rerum a Deo derivatam. Quarto quantum ad hoc, quod ipſi pleni exiſtentes hujuſmodi cognitione, eam copioſe in alios effundunt.*

XIII. Throni dicuntur, quia Deum ita reſpiciunt, ut peculiariter in eis ſedentem, & in eis illuminationibus ſuis ultimate conquieſcentem. Ideoque Throni dicuntur, quaſi ſedes Dei *per convenientiam ad materiales* (inquit D. Thom. ad 6.) *in quibus eſt quatuor conſiderare. Primo quidem ſitum, quia ſuper terram ſedes elevantur: & ſic ipſi Angeli, qui Throni dicuntur, elevantur uſque ad hoc, quod in Deo immediate rationes rerum cognoſcant. Secundo in materialibus ſedibus conſideratur firmitas, quia in ipſis aliquis firmiter ſedet; hic autem eſt e converſo: nam ipſi Angeli firmantur per Deum. Tertio quia ſedes ſuſcipit ſedentem, & in ea deferri poteſt. Sic & ipſi An-*

geli